1498 d. S. Urbani

Nos Enricus de Cobelaw Prepositus : Canonici et Capitulum ecclesie Warmiensis recognoscimus per presentes
Quod in data presentium capitulariter congregati : petita nostra licentia pro parte venerabilis domini
Martini Bengner plebani in Wartenberg : annuimus ut ipse per se vel aliam personam
quamcumque, nostri Capituli nomine, nonnulla bona que Johannes Scholtzi noster Capituli
Vasallus in villis Wuschen et Ablandare possidet : emptionis titulo poterit comparare
iuribus nostris semper salvis Ita tamen ut huiusmodi bona teneat : et proventus inde
provenientes annuatim : per se vel aliam personam tollat : sicque usumfructum merum
et mixtum imperium habeat : ad tempora vite sue : et interim fundet ad ecclesiam
Warmiensem ex his proventibus beneficium ecclesiasticum sive vicariam, Cuius presentationem
habeat primam, Eo vero sublato de medio, huiusmodi instituende vicarie commoda dispo
sitio ad nostrum Capitulum perpetuo spectare debebit. In quorum testimonium et fidem
Capituli nostri Sigillum quo utimur ad missiles presentibus est subimpressum. Datum
apud ecclesiam Warmiensem ipso die beati Urbani Anno domini Millesimoquadringentesimo
Nonagesimooctavo

(8) 1